



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

S. Dominicus Loricatus C. 14. Octobris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

14. Octob. VITÆ SANCTORUM. 649  
ultrò jam *Fortunato* pueros remisit; sed  
non gratis. Nam remisit Pont. sanita-  
tem, ingens ægro pretium. *Ex D. Gre-*  
*gorii Dialogis.*

*Adverte, quæso, si mundum diligis,*  
*si in illo conversaris, in quanto discrimine*  
*vivas. quocunque te vertes, concupiscentia*  
*ignem accensum invenies: quem si copulari*  
*permiseris tuo, uret te, & in favillam*  
*rediget. Fuge igitur ad montana cum Loth,*  
*& salvaberis. S. Laur. Iust. de Cont.*  
*mund. c. 19.*

S. DOMINICUS LORICATUS C.

14. Octobris.

**A**udite, qui aras, calices, infulas vel  
venditis, vel emitis. **DOMINICUS**  
à primis annis aris & ipse admotus, tan-  
dem sacerdotio initiatus est. Verùm  
quòd eos honores nescio quo dono (pel-  
lis credo caprina erat) parens filio mer-  
catus esset, detestatus hic impia mune-  
ra, adeoque jam se etiam, longè fugere  
statuit partas malè dignitates, & pater-  
num facinus in se vindicare. Ad hoc  
commodissima visa est solitudo, & in  
hac virorum societas, qui austeram cum-  
primis rationem vivendi sequebantur.  
Nempe his unum totâ ferè vitâ jejunium,  
deliciæ die Solis Iovisque pultes, cibus  
per reliquam hebdomadem solus panis e-  
rat. Nam de potu quid dicam? aquam la-  
cry-



646 VITÆ SANCTORUM. 15. Octob.  
cymis miscebant. Iam loqui semel in  
septimanâ, dabatur, cædere verò flagris  
sæpius in die se, sæpius cædi ab aliis mos  
receptus jam fuerat. Hæc omnibus tunc  
communis, at *Dominico* nostro pecula-  
ria illa ajunt: nudam carnem lorica fer-  
rea onerare, itaque in vigiliis sanctis no-  
ctes dies perstare; tum bis quotidie Re-  
gii Vatis carmina cantando decurrere,  
manu interim utraque virgis armata  
mensuram imperante. Durum, ais, est  
nimis sic vivere. At sic vivendo virgo vi-  
xit *Dominicus*, & ut tales vos vivatis, So-  
dales Parthenii, testamento arma vobis  
sua legavit. *Ex Lippeloo.*

*Optimè penitet, qui dum carnem ver-  
beribus mactat, lucrum, quod delectatione  
carnis amiserat, afflictionibus recompen-  
sat, & salubrem ibi nunc amaritudinem  
ingerit, cujus olim noxiâ delectatione pec-  
cavit. S. P. Dam. l. 5. epist. 8.*

S. HEDWIGIS DUCISSA. 15. Octob.

**I**N regium te gynæceum introducimus,  
tamen terreat, si ad limina pauperes  
excubent: *HEDWIGIS* intus habitat,  
quæ ex illustri Andecensium Comitum  
& Tyrolensium stirpe Henrico Polono-  
rum Duci nupta, primos annos liberis  
procreandis, reliquum deinde vitæ tem-  
pus, non invito conjugè, castitati de-  
dit, maluitque à pauperum jam turba,  
quàm